

**III. LITTERAE UNIVERSALES PUBLICARUM CONTRIBUTIONEM
IN CONVENTU CRACOVIENSI GENERALI PRO FESTO SANCTI ANDREAE APOSTOLI
INDICTO, ANNO DOMINI M^oD^oXXXIX^a DECRETARUM [15 II 1539]**

Sigismundus Dei gratia rex Poloniae^b, magnus dux Litvaniae^c, Russiae, Prussiae ac Masouiae^d etc. dominus et heres. Universis et singulis ecclesiasticis et saecularibus consiliariis regni nostri ceterisque subditis nostris quibuscunque tam terrestribus quam civitatum et oppidorum honoribus insignitis, ad quorum notitiam haec nostrae pervenerint litterae et praesertim in palatinatu^e et districtibus eius^e consistentibus sincere et fidelibus dilectis, gratiam nostram regiam.

Reverendissimi [ac] reverendi in Christo^f patres, magnifici, generosi, nobiles, famati, providi, sincere nobis et fideles dilecti! Cum videremus regno nostro magna quaedam a vicinis hostibus pericula imminere, matura nobis consilia esse ineunda putavimus, quibus ea propulsari possent. Itaque comitiis edictis, cum in unum locum convenissent et senatores consiliarii^gque regni nostri et una terrarum nuntii, nihil ei curae prevertendum duximus, quae nos de tuendis dicionibus nostris angebat, communicatoque cum illis consilio, quoniam nervi bellorum sunt pecuniae, absque quibus stipendiarius miles haberi non potest, de nostra senatorumque et consiliariorum nostrorum terrarumque nuntiorum sententia hasce anno hoc contributiones faciendas esse decrevimus.

[1]. Inprimis ex singulis mansis seu laneis agrorum, quos singuli kmethones seu incolae villarum tam nostrarum quam omnium spiritualium et saecularium subditorum nostrorum colunt et possident, decem octo grossos^g pro dominica Letare [16 III 1539], sex vero grossos^g pro festo sancti Laurentii [10 VIII 1539] sub poena duplici^h contribuent per capitaneos locorum a quolibet ipsam contributionem pro ratis supra expressis solvere negligenti irremissibiliter exigenda et reipublicae usui applicanda. Ea autemⁱ contributio seu solutio a nobis ac primis consiliariis nostris et ordinibus regni nostri spiritualibus et saecularibus fieri et incipi debet, incipiendo videlicet solutionem primae ratae a dominica Letare et finiendo usque ad dominicam Paschae [6 IV 1539] et deinde secundae ratae incipiendo solutionem a festo sancti Laurentii et illam usque ad festum sancti Bartholomei Apostoli [24 VIII 1539] inclusive terminando.

[2]. Item sculteti et advocati villarum liberi, non habentes census, duntaxat laneos colentes, solvent de suis laneis per decem octo grossos. Advocati vero kmethones seu colonos habentes ita, ut aliorum dominorum ad ratas suprascriptas videlicet de quolibet laneo decem octo grossos, pro prima videlicet duodecim grossos, pro secunda vero sex grossos sub poena dupli contribuent. Quia vero nonnulli advocati et sculteti ac nobiles pauperes, ut colludant cum exactoribus nostris et reipublicae onera evitent, collocare solent kmethones in parte agrorum advocatiae suae aut bonorum suorum etiam minori uno laneo, ut ab eis solummodo contributio exigatur et ipsi soli ab huiusmodi exactione sint^j liberi, tales poenis nostris subiacebunt, quos exactores diligenter annotabunt.

[3]. Item nobiles pauperes colonos et census non habentes, de laneo culto pro utraque rata duodecim grossos, pro prima videlicet sex grossos et pro ultima alios sex sub poena dupli pro utraque rata respective solent. Qui autem ita rebelles et obstinati antea fuerint, ut nullas contributiones superiori tempore de bonis suis solverint, neque antiquas quietationibus se tueri voluerint, tales secundum possessiones dare et solvere eandem contributionem modernam omnino teneantur. Praesertim cum neminem propter necessitatem reipublicae exemptum ab ea esse volumus, non obstante quavis consuetudine seu potius abusu contrario, ubi autem duo, tres vel quattuor nobiles pauperes unum laneum colunt, solvent omnes de huiusmodi laneo duodecim grossos alias quisque illorum solvet secundum quantitatem agri et porcionis lanei videlicet medietatem pro dominica Letare, aliam vero medietatem pro festo sancti Laurentii.

[4]. Item civitates et oppida tam subditorum nostrorum quam nostra regia, spiritualium et saecularium in toto regno nostro, exactionem civilem quam *schosch* vocant, unam integram et

^a 1539 Dr1, Dr2. ^b W MK2, zamiast dalszego tytułu — etc. ^c Lithuanie Dr1. ^d Mazouiae Dr1. ^e Następuje okienko. ^f Cristo MK2, Dr1. ^g Brak w MK2, Dr1, Dr2. ^h dupli MK2, Dr1, Dr2. ⁱ tamen MK2, Dr1, Dr2. ^j sunt Dr2.

mediam iuxta antiquas quietantias solvent et contribuent. Quaequidem exactio civilis una integra debet solvi pro prima rata videlicet pro dominica Letare proxima, continuando eandem ratam usque ad dominicam Paschae, sub poena dupli. Medietas vero eiusdem exactionis civilis pro alia rata incipiendo eandem ratam a festo sancti Lurentii et terminando usque ad festum sancti Bartholomei Apostoli inclusive.

[5]. Item villae vastatae, exuste et libertatem habentes, quae non solvunt censum dominis suis, sive earum incolae liberi sint et esse debent a solutione contributionis in praesenti conventu constitutae.

[6]. Item contributio cerevisiae, vini, medonis, malmatici, muscatelli *czopove*^k dicti in omnibus civitatibus et oppidis ac tabernis villarum, tam nostris quam subditorum nostrorum spiritualium et saecularium, incipiendo a festo Pentecostes proxima ad integrum annum, a singulis cerevisiae coctoribus more solito, hoc est iuxta continentiam litterarum universalium super contributione ducillorum editarum solvi debet, ex quibuscunque braseis fuerit cerevisia cocta sive brasea, ipsas sint civium sive dominorum, sive ex molendinis provenientia et emensurata sive domi facta.

[7]. Item etiam a cerevisia quam domini et nobiles ex braseis suis cuquunt seu braxant et illam dant ad propinandum suis tabernatoribus, ac etiam de cerevisia externa, ut Szwidnicensi^l, Thesszinensi^m, Bernouiensi et alia quaecunque, contributio ipsa *czopove* solvatur.

[8]. Item tabernatores hereditarii qui advectitiam propinant cerevisiam, per sex grossos a propinatione ad ratas temporum praedictas, tres videlicet pro prima et reliquos tres pro secunda sub poena dupli solvent, si agros non habent. Illi vero, qui agros habent, solvent seorsum ex agris suis contributionem per decem octo grossos iuxta exigentiam agrorum, quos possident. A coctura autem cerevisiae domesticae iuxta exigentiam contributionis *czopove* exolvent. Manuales vero tabernatores sex grossos hoc anno ad ratas temporum superscriptas, tres videlicet pro prima et reliquos tres pro secunda, sub poena dupliciⁿ solvent.

[9]. Molendina vero ventilia hereditaria duodecim grossos. Illa vero molendina ventilia, quae anniversarios molendinatores habent, sex grossos pro utraque rata, medietatem videlicet pro prima et aliam medietatem pro ultima rata sub poena dupli solvent. Et similiter illa molendina, quorum tertias mensuras tenentarii bonorum nostrorum regionum exemerunt et illas a se emptas in summis pecuniarum obligatas tenent ad usum et utilitatem suam, solvent contributionem quae *schosch* dicitur unam integram et mediam, sicut reliqua omnia molendina in regno nostro seu illorum molendinatores eam solvere consueverunt, contraria consuetudine, quae corruptela potius dici debet, penitus non obstante. Quorum autem molendinorum nostrorum de mandato nostro et pecuniis nostris tertiam mensuram redimerunt ad nostram utilitatem illa nihil solvi debent.

[10]. Molendina vero aquatica villarum tamstrarum quam subditorum nostrorum, spiritualium et saecularium, quae *poyrzebne* vocantur, manuales sive^o anniversarios molendinatores habentia ex singulis rotis sex grossos. Hereditarii vero molendinatores dictarum villarum et *folusche*^p ex singulis rotis molendinorum suorum, quae *walne*^q dicuntur, unum fertonem ad ratas temporum superscriptas, medietatem videlicet pro prima et aliam medietatem pro secunda ratis sub poena dupli persolvent.

[11]. Item molendina brasealia et hereditaria, aquatica et equestria in omnibus^f civitatibus et oppidis more veteri taxata et secundum antiquas quietantias contributionem, quae *schosch*^s dicitur, unam integram et mediam persolvent pro dominica Letare incipiendo et ad festum Paschae terminando, unam contributionem *schosch*^s integram, mediam vero a festo sancti Laurentii incipiendo, ad^t festum divi Bartholomei Apostoli continuando.

[12]. Minerariae officinae alias ferrum facientes et serrae hereditariae ex singulis rotis per fertonem, annuales autem officinae minerariae et similiter annales serrae, hoc est locatae seu

^k Tu i poniżej: *czopowe* MK², Dr¹, Dr². ^l Swidnicensi MK², Dr²; Suidniczensi Dr¹. ^m Thessinensi MK²; Tesszinensi Dr¹; Tessynensi Dr². ⁿ dupli MK², Dr¹, Dr². ^o seu Dr¹, Dr². ^p folusze Dr¹; folusse Dr². ^q valne Dr¹, Dr². ^t Słowa: in omnibus w MK² omyłkowo powtórzono. ^s Tu i poniżej: *schos* MK², Dr²; *schosz* Dr¹. ^f et eam ad MK², Dr¹, Dr².

conductitiae, a qualibet rota sex grossos pro utraque rata, medietatem videlicet pro prima et aliam medietatem pro secunda ratis sub poena dupli persolvent.

[13]. Item sacerdotes Rutheni, qui popones dicuntur, ex singulis ecclesiis et sinagogis unum florenum grossorum. Protopopones vero alias *namiesthniczi*^u per unam sexagenam in moneta, et similiter popones Armeni pro integro anno sub poena dupli solvent.

[14]. Item Walachi^v ex singulis laneis integris, si illos habent, vel arcis, que *dworziszcz*^w dicuntur, duodecim grossos solvent secundum antiquas quietantias et qui agros non habent, a singulo centenario ovium similiter duodecim grossos solvant, sex grossos pro prima et reliquos sex pro secunda ratis superius expressis sub poena dupli ad quamlibet ratam.

[15]. Ut autem suprascripta ordinatio in exigendis contributionibus facta debito executioni demandetur in palatinatu^x et districtibus^y exactorem^z infrascriptum videlicet generosum^x de consilio universi senatus et nuntiorum terrestrium designavimus et constitutimus hisce litteris nostris.

[16]. Qui quidem exactor in conventu particulari palatinatus sive terrae suae proximae a nobis indicendo faciet coram palatino seu castellano et nobilitate sive ab eis deputatis et deinde in conventu regni, coram nobis et consiliariis nostris, plenam et exactam rationem de omnibus contributionibus palatinatus sive terrae, in qua fuit exactor, specificet et sigillatim demonstrando, quantum videlicet de singulis exactionibus suprascriptis proveniat, a qualibet seorsum faciet et referet, ut scire possit, quae summa pecuniarum ex una quaque contributionum^z publicarum praedictarum colligatur.

[17]. Quietationes ad alium quam ad reipublicae usum, ab exactoribus ostense et exhibite valere minime debebunt.

[18]. Quia vero nonnullae civitates et oppida tam nostra regia, quam subditorum nostrorum spiritualium et saecularium eam sibi vitande iuste contributionis *czopowe* excogitaverunt viam, ut a nobis impetrarent, quo sibi liceret certa summa pecuniae eandem contributionem integri anni redimere. Propter ea nos necessitati reipublicae commodare volentes et postulationi nuntiorum terrestrium annuentes, statuimus, ut eam ipsam contributionem *czopowe* non secundum impetrationes suas et concessionem nostram, sed integre quemadmodum debet et quemadmodum ex dictis civitatibus et oppidis provenire solet hoc anno ad necessitatem reipublicae exsolvant. Quare vobis omnibus et singulis suprascriptis mandamus, ut pro temporibus seu ratis superius expressis in manus praefati exactoris nostri easdem contributiones, secundum quod ad unumquemque pertinet, modo praemisso solvere curetis. Vos vero exactores diligenter illas colligatis et pro ratis superius designatis colligere non negligatis. Eos vero, qui in solvendo negligentes fuerint, locorum capitaneis deferatis. Vobis etiam capitaneis, quorum interest, mandamus, ut easdem contributiones superius expressas in locis civitatibus et oppidis capitaneatus vestri proclamari publicae faciatis et ad manus praefati exactoris pro ratis superius expressis sub poenis ad hoc constitutis, exsolvi nostro nomine ad necessitatem reipublicae mandetis, absque cuiusvis morae et dilationis interventu. Negligentes autem [et] in solvendo contumaces per pignorationes^{aa} et alias poenas solitas ad solvendum easdem contributiones compellatis, sub poena centum marcarum pecuniae. Quam capitanei negligentes executionem et pignorationes exsolvere in conventu generali proxime celebrandi tenebuntur et quisque eorum tenebitur, postquam delatus et convictus in negligentia fuerit. Si vero contingerit, quod exactor aliquam villam iniuste quasi contributionem non exsolvisse detulerit et capitaneus ad pignorationes mittens quietationem apud eosdem colonos invenerit, extunc talis exactor poenam quattuordecim marcarum propterea succumbet, quae capitaneo, quem frustra fatigavit^{ab}, cedere debebit, pro qua poena exactor citans coram nobis vel iudicio terrestri respondere et satisfacere tenebitur.

[19]. Ne autem aliquis error in quietationibus exhibendis committatur, statuimus, quod exactores in quietationibus diem, mensem et annum, qua contributionem accepit, diligenter

^u *namyestniczi MK2; namiestniczy Dr1; namiestnicy Dr2.* ^v *Valachi Dr1, Dr2.* ^w *dworziszcz* *MK2; dworzyszcz* *Dr1; Dworzyszcz* *Dr2.* ^x *Następuje okienko.* ^y *eius exactorem MK2, Dr1.* ^z *Brak w Dr1, Dr2. W MK1 i MK2: contributionem.*

^{aa} *Tak w MK2, Dr1, Dr2; pignorationis MK1.* ^{ab} *fatigatum Dr2.*

adnotent et in registra sua diligenter referant. Similiter etiam die, qua negligentes et non solventes villas capitaneus detulit, in regestrumque diligenter adnotet, ne aliquis error et implicatio rerum accidere possit. Quietationes vero antiquas non debent exactores discerpere sive lacerare vel ipsas ad se recipere, sed eas rursus hiis, qui eas adtulerunt, restituere pro officio vestro et gratia nostra, aliter non facturi.

Datum Cracouiae, in conventu generali, sabbato in crastino festi sancti Valentini, anno Domini ^{ac}-millesimo quingentesimo tricesimo nono ^{ac}[15 II 1539], regni vero nostri anno ^{ad}-tricesimo tertio ^{ad}. Ad mandatum Sacrae ^{ae}Regiae Maiestatis proprium.

IV. LITTERAE UNIVERSALES DUCILLORUM

Sigismundus ^a-Dei gratia rex Poloniae, magnus dux Litwaniae, Russiae, Prussiae, Masouiae etc. dominus et heres ^a. Universis et singulis ecclesiasticis et saecularibus consiliariis regni nostri ceterisque subditis nostris quibuscunque tam terrestribus quam civitatum et oppidorum honoribus et officiis insignitis, ad quorum notitiam hae nostra [litterae] pervenerint et praesertim in ^bdistrictibus eius consistentibus sincere nobis et fidelibus dilectis gratiam nostram regiam. Reverendissimi et reverendi in Christo patres, magnifici, generosi, nobiles, famati et providi, sincere nobis et fideles dilecti. Noveritis communi omnium consensu tam spiritualium quam saecularium consiliariorum nostrorum et nuntiorum terrestrium in conventu generali Cracouiensi congregatorum voto ^c et concordi voluntate exactionem ducillorum, que *czopoue* ^d dicitur multis et arduis necessitatibus reipublicae ita exigente decretam esse, quae inchoari debet a festo Penthecostes proximo [25 V 1539] et continuari per integrum annum ad aliud festum Penthecostes anni millesimi quingentesimi quadragesimi [16 V 1540]. Exigetur autem et solvi ac exigi debebit eadem ipsa contributio ducillorum secundum antiquam consuetudinem, modo videlicet infrascripto.

Ut quilibet cerevisiam coquens venalem, ex quibuscunque braseis fuerit eadem ipsa cerevisia cocta, hoc est sive ipsa brasea sint civium et dominorum sive ex molendinis provenientia et emensurata sive domi facta, a quolibet vase singillatim vel coctura ipsius cerevisiae iuxta locorum consuetudinem ante hac observatam, exactionem ipsam ducillorum in manus infrascriptas exactoris fideliter solvat. Ita, ut a maiori coctura alias *varv* ^e plures grossi solvantur et a minori pauciores iuxta vasorum numerum et quantitatem et exactoris constitutionem, quam ibi opus et quoties expediens erit, nostra auctoritate faciet et constituet, notariosque et custodes tam in civitatibus et oppidis, quam etiam in villis iuxta arbitrium suum. Exactor etiam ipse deputabit et iuramento corporali ad fidelitatem illos astringet. Ternarii vero more vetusto circa quemlibet grossum solvendi pro civitatum et oppidorum reparatione conserventur. Tabernatores vero singuli cerevisiam coquentes a quolibet vase mensurae civilis per unum grossum alias iuxta antiquam consuetudinem. Coctam vero a dominis tam spiritualibus quam saecularibus ad propinandum recipientes non secus, si advectivam propinarent, ratione ipsius contributionis per sex grossos solvent. Item a medio vase ^f alias *Puvkyffek* ^g florenus unus cum triginta quadrantibus solvendus. Item a drelink sive Seremiensi vase vini et similiter ab aliis vasis, quae *fudri* vocantur, duo floreni cum sexaginta quadrantibus solvendi. Item a quolibet barili malmatici vel vini Italici unus *orth* ^h cum septem ternariis solvatur. A barili vero simplicis vini duo grossi solvantur cum duobus ternariis. A cerevisia advectitia ⁱ sive externa, ut Swidnicensia, Glougouiensia, Thesshnensia ^j, Bernouiensia et alia quaecumque, a quolibet eius vase duo grossi solvantur et quicumque non soluta prius exactione praefata cerevisiam, vinum, medonem, malmaticum et alium quemcumque potum ex praedictis vendere et propinare in fraudem reipublicae praesumpserit, totum illud in quo

^{ac-ac} M^oD^oXXXIX MK₂, Dr₂; M.D.XXXIX Dr₁. ^{ad-ad} XXXIII MK₂, Dr₁, Dr₂. ^{ac} Brak w MK₁, Dr₁.

^{a-a} etc. MK₂. ^b in palatinatu [*następnie okienko*], et MK₂. ^c W MK₁, *omyłkowo*: vero. ^d *czopowe* MK₂. ^e *waru* MK₂. ^f vase vini MK₂. ^g *polkuffek* MK₂. ^h *hort* MK₂. ⁱ *aduectiua* [*sic*] MK₁. ^j *Thessinensia* MK₂.